

**De morbo hydrocephaloide : dissertatio inauguralis medica ... / auctor
Isaacus Moser.**

Contributors

Moser, Isaac.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1843.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ugdf4hkk>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

22

22

DE

MORBO HYDROCEPHALOIDE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILIELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXVIII. M. AUGUSTI A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

ISAACUS MOSER

NEOMARCHUS.

OPPONENTIBUS:

- A. ARNHEIM, med. et chir. Dr., med. pract.
- S. NEUMANN, med. et chir. Dr., med. pract.
- A. REGEN, phil. Cand.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.



FORRO HYDROCEPHALIQUE

DISSERTATION

IN QUORUM LIBRO

DE

CAUSIS ET SYMPTOMATIBUS

HYDROCEPHALICIS, AC DE

REMEDIIIS QUAE AD

ILLORUM CURAM

PERTINENT

EXAMINATAE SUNT

AB ACADEMIA

SCIENTIARUM ET ARTIUM

PARISIENSIS

IN SENATU

PARISIENSIS

MDCCCLXXV

PARISIENSIS

PARISIENSIS

Morbum hydrocephaloidem de arte medica optime meritus Marshall Hall primus descripsit. Quae prima descriptio hujus morbi invenitur in ejus libro: »Medical Essays 1825.« Postea morbum Abercrombie in libro suo: »Researches on diseases of the brain and Spinal-Chord« paucis verbis commemoravit. Praeterea de morbo hydrocephaloide a Gooch in libro inscripto »Account of some diseases peculiar to women« tractatum est. Ueberius de morbo actum a Marshall Hall in libro, qui inscriptus est: »M. Hall. Ueber die Krankheiten und Störungen des Nervensystems. Aus dem Englischen von Dr. F. J. Behrend. 1842.«

SYMPTOMATOLOGIA.

Duo morbi stadia distinguuntur, primum scilicet stadium irritationis, alterum stadium torporis. Symptomata fere eadem sunt, quae apud hydrocephalum acutum animadvertuntur. Symptomata primi stadii sunt haec: Infantes morosi fiunt, facile irritantur, inquieti sunt. Colori faciei rubro invicem succedit pallidus. Infantes gravedinem capitis sentire videntur. Tardiores caput demissum vix compotes sunt attollendi, somnolenti sunt, somnus autem inquietus est; dormientes facillime, susurro lenissimo excitantur; in somnis saepe loquuntur, saepe vagitum edunt, ingemiscunt; magna tarditas non solum motuum, sed etiam ingenii; oculi modo aperti, modo clausi, saepissime semiaperti. Saepius subito cohorrescunt. Cutis temperies invicem immutatur, modo non

solito calidior, modo calidissima, modo solito frigidior. Saepius maxima cutis irritabilitas adest. Arteriarum pulsus interdum nullo modo vel parum mutatus; saepius paullulo plenior et frequentior. Abdomen molle est, flatulentia et relaxatio intestinorum, saepissime diarrhoea adest; sedes sunt mucosae. Linguae color albus.

Non multo post, praesertim cura neglecta, stadium irritationis sequitur stadium torporis, cujus symptomata sunt haec; Facies fit pallida, temperies multo diminuitur; majorem in modum facies pallida mortui instar et omnino est frigida; eodem modo temperies totius cutis imminuta. Tarditas et ingenii et motuum gradum maximum assequitur. Immobilitas denique omnino intrat; oculi sunt semiaperti. In nullas res infantes oculos defigunt. Pupillae sunt dilatatae, lux earum contractionem nullam efficit. Respiratio adhuc solito celerior fit tardior, inaequalis, saepe intermittens, et quum vires magis magisque collapsae sunt, stertens. Vox rauca fit, fere evanescit. Sedes viridis coloris et odoris foedi esse solent. Pedes fere gelidi. Arteriarum pulsus adhuc plenior fit debilis et multo frequentior; frequentia et debilitas paullatim magis magisque aucta. Animam denique infantes exspirant.

AETIOLOGIA.

Quae symptomata quam similia sunt illis, quae hydrocephalus acutus offert, tam dissimilis utriusque morbi natura est. Primum, quae auctores, qui de morbo scripserunt, de causis docent, exponamus.

M. Hall morbum praecipue exhaustionem nasci dicit. Quenam igitur sunt causae exhaustionis? Auctores imprimis duas commemorant:

I. Diarrhoeam infantum, quae per aliquod tempus duraverit. Quae diarrhoea exstitit aut nutrimentis ineptis et malis, imprimis talium infantum, qui a lacte matrum modo remoti, cibis ineptis et pravis sustentabantur; aut exorta est medicamentis laxantibus, quae vel per se gra-

viora irritationem intestinorum vehementiorem et per aliquod tempus durantem efficiebant, vel irritationem modicam, quae antea jam exstiterit, multo augebant.

Non dubitandum est, quin aliae quoque caussae, imprimis aëris atmosphaerici, talem intestinorum statum adducere possint.

II. Sanguinis quoque detractionibus consumptio virium effecta esse potest. Quae detractiones sanguinis in iis casibus, in quibus talem statum effecerint, aut contra irritationem tantum sympathicam cerebri alio quodam morbo effectam institutae erant; aut, quum re vera status congestivus cerebri, vel inflammatorius (?) adesset, in modum majorem adhibitae. Ubi vires infantum imprimis diarrhoea affectorum jam fractae sint, sanguinis detractiones talem exhaustionis statum facilius adducere posse facile ad intelligendum est.

Gooch talem quidem morbum apud illos infantes ortum observabat, qui adhuc bona valetudine gavis, brevi tantum tempore ante irritatione intestinorum laboraverant.

Talem statum igitur non solum viribus exhaustis produci contendit. M. Hall autem ei ita adversatur, ut in casibus a Gooch relatis medicamenta laxantia adhibita virium exhaustionem verisimiliter effecisse demonstrat: ex altera parte tamen concedit, primum morbi stadium, irritationis, ventriculi et intestinorum tantum irritatione, viribus adhuc non omnino consumptis adduci posse; stadium torporis autem in exhaustionem sola causam habere omnino contendit.

Alio loco M. Hall: »Status, inquit, organismi exhaustus non impedit, quo minus congestio sanguinis in cerebro oriri possit; adducitur potius hac re congestio; in gravioribus igitur casibus, inquit, non solum symptomata congestiois cerebri per vitam apparent, sed etiam post mortem ventriculi sero exsudato impleti reperiuntur.»

Quinam igitur est status cerebri in hoc morbo? Respicientibus simul ad statum aegrotorum universalem, sententiis auctorum M. Hall et Gooch perpensis, illum explicare nobis liceat.

I. Cerebrum est in statu anaemiae.

A. Anaemia adest simulque irritatio intestinorum viribus tamen aegrotorum nondum exhaustis; anaemia cerebri igitur coincidens cum congestione tantum intestinorum ejusque sequela. Intestina irritata sine dubio sanguinem ad se ipsa attrahunt, talique modo statum illum cerebri efficiunt. Similia morbi aliorum organorum nobis offerunt. Ita exempli gratia apud hyperaemiam vel haemorrhagiam uteri alia quaedam organa sanguinis expertia invenimus.

B. Anaemia cerebri adest, coincidens cum statu exhaustionis universali.

Hic locus esse mihi videtur, nonnulla pathologiae cerebri generalis, ut symptomata, quae morbus noster offerat, rectius interpretemur et judicemus, proferendi. Primum hoc commemoramus, morbos cerebri potissimum contrarios eadem signa saepissime offerre; omittamus, de signis similibus loqui, quae et affectio cerebri idiopathica et sympathica praebent, (difficultas quidem tales status dignoscendi satis constat; optimos medicos et peritissimos in dijudicando, qualis cerebri affectio sit, utrum idiopathica an sympathica, frequentissime perturbari satis scimus) et hoc loco, spectantes ad symptomata hydrocephali acuti et morbi hydrocephaloidis, de illis tantum statibus, fere eodem modo sese praebentibus, anaemiae cerebri et hyperaemiae vel inflammationis dicamus. Quam rem optime explicat hoc experimentum: - Quum animali subito et repente multum sanguinis detrahatur, symptomata, quae alias irritationi cerebri facile adscribere potueris, apparent; convulsiones exoriuntur, eo vehementiores, quo magis cerebrum sanguinis expers fit. Similia, quae in aliorum organorum morbis videmus, rem confirmant. Pulmonibus copia sanguinis solito majore impletis, vel solita sanguinis copia carentibus, dyspnoea oritur. Pariiter palpitationes cordis et solito majore sanguinis copia et minore efficiuntur. Illa symptomata, quae post haemorrhagias nobis sese offerunt, somnolentiam, surdiginem, tinnitum aurium, caecitatem, oculorum scintillationem etc. afferremus, nisi res illis, quae jam memorata sunt, satis uperque confirmata esset.

Sed quaenam est illorum symptomatum, quae anaemia excitat, causa physiologica; stadia enim duo, ut repetamus, irritationis et torporis distinguebantur, atque utriusque stadii symptomata cerebri anaemia excitata existimavimus. Aliorum symptomatum causa facile apparet, inopia scilicet sanguinis, irritamenti vitalis, vim cerebri frangi liquet; quaenam sit aliorum symptomatum, irritationis, symptomatum quodammodo reactionis cerebri ad sui ipsius statum, quae variis modis se manifestant, causa difficilius intellectu sit. Hanc rem nonnulli sic explicare conati sunt, ut proposuerint, quandam ut ita dicam copiam irritabilitatis in systemate nervorum accumulata esse, eamque in modum vitae cum sanguine effugientis vi quadam effundi. Canstatt ita rem expedit: »causa, inquit, symptomatum physiologica nobis esse haec videtur; quo magis vis organi cujusdam vel organismi anaemia fracta est, eo magis aucta irritabilitas; quodque lenissimum irritamentum, ad quod organum integrum vix reagere videtur, organi sanguinis expertis, quamdiu non paralyticum, reactionem turbulentam quidem, sed omni vi carentem provocat.« Quae sententia ceteras interpretationes non excipere nobis videtur.

II. Cerebrum est in statu hyperaemiae, coincidente cum exhaustione corporis. Sanguinis congestio in cerebro adducta est viribus organismi fractis.

Quod, quamquam saepissime apud infantes, interdum apud adultos quoque observatur. Tali modo, sectione cadaverum haemorrhagiis defunctorum instituta, cerebrum, ceteris organis sanguinis expertibus, sanguine impletum nonnunquam invenitur. Experimenta in animalibus facta idem explicant; multo enim animali sanguine detracto, ita ut mors intret, tunicae cerebri et cerebrum ipsum sanguine impletum saepius reperitur. Similia signa homines haemorrhagia affecti per vitam interdum offerunt, signa, quae sanguinis in cerebro congestionem adesse satis demonstrant. Quae quidem symptomata, hirudinibus in caput adhibitis, aliquod tempus removentur; mox tamen vehementiora regrediuntur, quia causa congestionis, virium exhaustio, non remota est. Quod apud infantes saepius etiam observatur, quia et ad affectiones cerebri propen-

siores sunt, et connexus sympathicus cum aliis organis major animadvertitur. Et quum in illis casibus irritatio intestinorum adesse soleat, congestio sanguinis in cerebro facilius evenire potest. — Quae sympathica cerebri affectio viribus minime fractis, in adultis quoque apparet; »interdum enim, Andral inquit, agitationes organorum digestionis, inprimis vehementiores, congestionem cerebri efficiunt. Eodem modo, inquit, apud infantes, gastroenteritide laborantes, hyperaemia cerebri oritur; saepius quidem, non semper deliria et coma, quae in quibusdam hujus morbi stadiis apparent, ab hyperaemia originem ducunt; et apud illos nascuntur, quorum cerebrum post mortem sanguinis valde expers invenitur.« Res quidem omnino constat; causam autem, ob quam modo hyperaemia, modo anaemia observetur, enucleare non possimus.

Interrogare nunc liceat, num nomen »morbus hydrocephaloides« ad illum morbum, quem descripsimus, aptum sit; non aptum existimemus, quia status cerebri omnino diversos nomen complectitur, nam cerebrum ut demonstravimus, in statu hyperaemiae et anaemiae esse potest. At in eadem re, fortasse opponas, in exhaustionem, fontem habet morbus. Et id minime accidit; anaemia enim cerebri non semper viribus consumptis efficitur, eamque etiam oriri vidimus apud illos, qui, viribus non fractis, irritatione tantum intestinorum diutius laboraverint, namque irritata intestina sanguinem ad se ipsa attrahere talique modo illum cerebri statum propter connexum quendam adducere demonstravimus. Canstatt in libro suo anaemiam cerebri tractat, eamque ait morbum esse hydrocephaloidem auctoris M. Hall. Nec hoc probare possumus, quia pari modo hyperaemiam adesse posse vidimus. —

Verisimile insuper nobis videtur, M. Hall illos quoque casus, in quibus re vera hydrocephalus acutus extiterit, morbo quem hydrocephaloidem nominat, adnumerasse. Loco enim quodam ille dicit: »In gravioribus casibus non solum per vitam signa congestionis, sed etiam post mortem ventriculi cerebri sero exsudato impleti in-

veniuntur.« Nonne est fere idem status, quem nonnulli auctores apoplexiam hydrocephalicam vocaverunt? Alibi porro haec ait: »Exhaustio virium majore hirudinum multitudine vel majoribus venaesectionibus saepissime efficitur. Quin sententiam pronunciem non possum, multorum infantum morborum mortem adducentium culpam in medicamina, quae vires consumunt, transferendam esse. Quae sententia, inquit, medicos non satis peritos, qui venaesectione, laxantibus, magnis calomelanos dosibus adhibitis omnia fecisse se putent, moneat, ut cautiores sint; concedo quidem his remediis complures morbos sanari, saepissime autem alterum morbum ea efficere, qui ad mortem ducat, persuasum habeo.« Num M. Hall illos casus huc referri voluerit, in quibus contra statum cerebri inflammatorium ratione virium jam diarrhoea quodammodo debilitatarum major sanguinis copia detracta sit, in medio relinquamus, quamvis respicientes ad illa, quae in libro: »Ueber Blutentziehung von Dr. M. Hall. Deutsch bearbeitet von Dr. Bressler 1837.« docet id probare velimus. Veras quidem inflammationes non intellexisse M. Hall nobis videtur. Talisne autem inflammatio, qualis arachnitis et encephalitis, morbus hydrocephalus acutus habeatur? Diversas de hac re auctorum sententias proferre longius a proposito nos deducat. Hoc quidem constare nobis videtur, aut diversos morbos nomine hydrocephali acuti comprehensos, aut signa, quae in sectionibus cadaverum institutis sese obtulerunt, exorta ab inflammatione nonnullos auctores saepius non recte existimasse, neque complicationes malorum cerebri cum morbis aliis, qui jam antea exstiterint, satis respexisse. Et id satis exploratum nobis videtur, hydrocephalum acutum ab inflammationibus veris, quales arachnitis vel encephalitis sunt, omnino diversum esse: sive morbus propriam in nosologia speciem repraesentet, quam inter neurophlogoses numeraverint; sive sit arachnitis, quae, quod in organismo infantili appareat, propriam sese praebeat. Ac fere inter omnes auctores constat, contra hunc morbum tantam sanguinis copiam, quanta contra ceteras ferme omnes opus sit inflammationes, non detrahendam esse. Quae ideo proferimus, ut monstremus, sanguinis

contra hunc infantum morbum detractiones, in majorem modum adhibitas, facillime efficere posse, ut ille status morbi, quem auctores asthenicum vocant, adducatur. Huc accedit, quod hydrocephalus acutus in decursu aliorum morborum, qui vires aegrotorum jam in modum quendam debilitaverint, saepe intrat. Quod complicationes morbi cum aliis attinet, haec auctoris Stockes verba (cfr. Ueber die Heilung der innern Krankheiten von Stockes. Deutsch bearbeitet von Dr. Fr. J. Behrend) citamus: »Non tam difficilem esse, quam medici putaverint, hydrocephalum acutum sanatu existimamus. In hoc tantum casu cura est difficillima; nempe quum inflammatio cum gastro-enteride complicata est. Signa intestinorum affectionum prima apparere solent, eaque mox cerebri affectio sequitur. Quod magnam difficultatem praebet; medicus enim in periculum venit in duplicem errorem incidendi; alter error hic est, ut affectio cerebri sympathica facile habenda sit, quae morbo intestinorum sanato effugiat; alter, ut medicus ad affectionem cerebri solam animum attendat. Id primum memoria teneatur, affectionem cerebri, etiamsi morbus intestinorum prior adfuerit, non parvi aestimandam esse, simulque in morbum intestinorum animum attendendum.« Cheyne dicit: »contra hydrocephalum acutum medicamina laxantia modo apta modo inepta esse; ubi inepta sunt, complicatio cum affectione intestinorum adest.«

Auctores, ut jam memoravimus, hydrocephalum acutum sthenicum et asthenicum distinguunt. (Klohs, die Gehirnwassersucht der Kinder. Berlin 1837. Seite 46). »Hydrocephalus acutus sthenicus inprimis observatur, quum infantes validi et sanguinosi; asthenicus, quum infirmi, cachectici, aliis morbis jam debilitati, cibis ineptis et malis nutriti, viribus vel chronico morbo vel acuto inflammatorio exhaustis, afficiuntur. Curam hydrocephali asthenici auctores docent difficillimam esse, inprimis quia asthenica omnium organorum aequalis non adsit, sed modo hoc modo illud organum statum asthenicum offerat, dum aliud in statu contrario animadvertatur. Signa congestionis sanguinis in cerebro quamquam satis apparent, debilitas tamen corporis detractionem sanguinis localem, etiamsi

modicam, periculosam reddit, multoque magis vetat majorem aliquam sanguinis detractionem, quam exsudatio saepius statim insequitur. Alias omnia debilitatis et atoniae totius corporis et cerebri signa adsunt, quae medicamina irritantia indicare videntur; quae tamen adhibita rem multo pejorem reddunt, quia irritatio cerebri occulta modicam sanguinis detractionem indicans, illis medicamentis magis magisque crescit, postremoque mortem adfert. Sanguinis detractiones igitur modo prodesse modo nocere possunt; itaque nisi rebus accuratissime perpensis, non instituendae sunt. Id medico praecipue nitendum, ut sensibilitatem organorum inaequalem hic auctam, illic diminutam, aequalem reddat et in perpetuum a cerebro derivet. Quem ad finem indicata sunt Nervina et Diaphoretica: Infusum Valerianae, Flor. Chamomill., Liq. Ammon. acetic. etc.; viribus magis magisque debilitatis: Serpentar., Angelica, Moschus, Liq. Ammon. succin., China, Sinap. Hic vinum quoque inprimis in loco est. Vino Odier et Macbride infantes se in valetudinem saepius restituisse narrant. — Petrus Frank quoque distinguit hydrocephalum acutum sthenicum et asthenicum, atque contra asthenicum Opium, Mosch., Flor. Zinci, Ammonium et Vinum commendat. — Quod causas morbi remotas attinget, auctores hydrocephalum et idiopathicum et symptomaticum discernunt, symptomaticum eum vocantes, qui alium morbum acutum congestionem sanguinis ad cerebrum et exsudationem provocantem, sequitur. Febres mucosas et remittentes, quae diutius exstiterint, auctores dicunt apud infantes, hydrocephalo intrante saepe finiri, hydrocephalum rati illius morbi consecutionem esse; infantum melior status quidem aliquamdiu apparet, mox tamen coma et convulsiones animadvertuntur et infantes animam exspirant. —

Quae omnia a nobis memorata sunt, ut sententiam nostram proferamus, a M. Hall quandam quoque hydrocephali acuti, ut ita dicam, speciem, variis causis ita commutatam, ut auctores asthenicam descripserint, illi morbo adnumeratam esse, quem hydrocephaloidem nuncupaverit. Neque certe negari potest, hydrocephalum, corpore aliis morbis jam debilitato, oriri posse; morbum

autem tali modo commutari et ab illo, quem sthenicum vel idiopathicum nominaverint, valde diversum esse, indubium nobis videtur. Quod et ad curam maximi momenti esse, sane negari non potest. — In medio relinquebamus et verisimillimum tantum habebamus, M. Hall talem hydrocephali acuti speciem quoque nomine morbi hydrocephaloidis intellexisse. Quae verba M. Hall ad hanc sententiam nostram adduxerunt, ea supra commemoravimus. — Atque id consideratione dignissimum nobis videatur, hydrocephalo acuto illos quoque infantes, quorum vires aliis morbis jam debilitatae sunt, affici posse.

Nec dubitandum tamen nobis videtur, quin auctores nomine hydrocephali acuti illum quoque morbum, quem M. Hall nomine morbi hydrocephaloidis descripserit, saepius significasse, anaemiae cerebri signis ab illis irritationis non dignotis. Atque M. Hall optime meritum esse, quod ad morbum, qui adhuc sine dubio saepissime non recte iudicatus sit et medicum in errorem duxerit, medicos attentiores redderit, quis negabit? Quam sententiam nostram, morbum hydrocephaloidem pro morbo omnino contrario hydrocephalo habitum esse, id imprimis confirmat, quod apud auctores de sectis infantum cadaveribus legimus. Nonnulla ad hanc rem pertinentia secundum Klohs, qui, quae multi auctores de hac re docuerunt, in libro suo composuit, memorare volumus. Ille quidem haec dicit: Omnes fere auctores consentiunt, vasa cerebri ejusque tunicarum plus sanguine minusve impleta esse, interdum sanguine turgida inveniri; apud infantes autem, quorum vires ante morbum fractae essent, haec non tam perspicue observari, interdum omnino desiderari.

Alii morbum hydrocephaloidem auctores commemorarent?

Id primum adferamus, quod Abercrombie de morbo dicit: »Ultimo illorum morborum stadio, qui exhaustionem virium efficiunt, status aegrotorum soporus oriri dicitur, et quidem multo tempore ante mortem, dum arteriarum pulsus satis animadvertitur. Tales infantes observandi, occasio mihi data est; nonnullos dies talem stuporem ostenderunt, vino autem et diaeta nutriente in

valetudinem restituti sunt. Qui status ab illo soporo, morbos cerebri comitante, vix dignoscendus est; infantes tali modo afficiuntur, postquam per tempus aliquod morbis, qui vires debilitant, inprimis diarrhoea neglecta laborarunt. Infantum sensibilitas omnino deest; pupillae sunt dilatatae, oculi aperti lucem non sentiunt, facies pallida, arteriarum pulsus debilis. Haec affectio unum vel duos dies existere potest, et vel ad rem meliorem, vel ad mortem ducit. Qui morbus apoplexiae ex exinanitione, qualem veteres auctores describunt, simillimus esse videtur. A syncope ita dignoscitur, ut paulatim ingrediatur et longius tempus, unum vel duos dies duret, nec, ut syncope, caussis, quae subito influunt, efficiatur, sed viribus paulatim fractis producat. Ab exhaustione sola sic discernendus est morbus, ut sensibilitas et facultas motuum fere omnino desit, dum arteriarum pulsus satis conspicendus, interdum etiam satis fortis apparet. Eundem morbum apud adultos quoque observabam, multo tamen frequentiore apud infantes.

Atque Andral nomine »anaemiae cerebri« eundem morbum describit. Quae auctor docet, haec fere sunt: Status cerebri exsanguis saepissime eadem signa offert, quae hyperaemia; et maximi est momenti, alterum statum ab altero plane contrario dignoscere. Signa anatomica morbi haec describit: Color substantiae cerebri ita est mutatus, ut substantia corticalis multo pallidiorem solito colorem, minorem vasorum numerum offerat et substantiae medullari similem sese praebeat. Billiard substantiam cerebri corticalem tam pallidam interdum sese observasse refert, ut superficies cerebri cerae formatae similis apparuerit. Quod ad morbi symptomata attinet, haec ille auctor docet: Anaemia aut cerebri tantum, aut totius corporis cernitur; anaemiam totius corporis apud aegrotos, qui aut haemorrhagiis aut alio morbo acuto vel chronico laboraverint, se vidisse testatur. Sic apud infantes morbus observatur, qui gastro-enteritide acuta affecti erant, quo morbo fere finito, symptomata comparent, quae irritatione cerebri exorta videntur, quod tamen in statu exsanguis versatur et post mortem omnino pallidum invenitur. — Quum anaemia cerebri tantum adest,

caussis adducta, quae sanguinis in cerebro circuitum proprio modo modificant, illa signa desunt, quae omnis quantitatem et qualitatem sanguinis perturbatas esse annunciant. Anaemia cerebri, alibi ait, idiopathica quoque esse potest, comitans congestionem aliorum organorum; apud infantes saepissime obvia, multo rarius apud adultos. — Symptomata morbi sunt haec: saepius delirium adest; facultas motuum est imminuta, vel omnino sublata; saepe convulsiones observantur; sensibilitas est aucta aut diminuta.

Atque Elliotson morbum, quem hydrocephalum spurium vocat, commemorat. »Symptomata, inquit, hydrocephali acuti apud tales infantes interdum obvia sunt, qui sanguinis detractionibus, laxantibus et diaeta antiphlogistica maximum in periculum inducantur. Interdum enim evenit, ut infans vertigine afficiatur, pupillae dilatatae, delirium et fere omnia hydrocephali signa appareant; dolor tamen capitis vel omnino non observatur, vel mox refugit, atque cutis temperies valde diminuta est; pulsus acceleratus et debilis, facies est pallida vel colore rubro tamen fugacissimo. Tali conditione quum hirudines vel laxantia adhibentur, vires infantis haud dubie magis consumuntur. Saepius infantes, postquam per aliquod tempus diarrhoea laboraverunt, statum torporis cerebri ostendunt, gravedinem capitis sentiunt, stupor apparet, facultas oculorum videndi deest, pupillae sunt dilatatae. Post mortem cerebrum aut nihil mutatum observatur, aut vasa cerebri magis serosa apparent; interdum seri aliquantum exsudati in ventriculis fortasse invenitur, plerumque autem vasa solito pauciorum sanguinem continent. Optimum contra hunc morbum remedium est jus carnis elixae; praeterea ternis vel quaternis horis dosis Ammonii quaedam sumatur. Tali ratione bona valetudo celeriter restituitur.«

Apud ceteros auctores nihil de hoc morbo inveniri putamus; veteres anaemiam cerebri et symptomata quae offert, non satis cognosse videntur. Jam supra sententiam nostram, symptomata status cerebri exsanguis fortasse haud raro a congestionem vel hydrocephalo non dignota esse, protulimus. Locis tamen quibusdam apud

auctores de morbis infantum, qui vires inprimis consumunt, quod ad nostrum morbum pertinere videatur, id memoratum legimus, sub finem talium infantum stuporem vel convulsiones oriri.

Jam alia memorare volumus, quae apud auctores obvia ad hunc morbum referri possint. Verisimile nobis videtur, illum statum ab auctoribus interdum nomine apoplexiae nervosae, quam Abercrombie apoplexiam simplicem vocat, significatum esse. Illam Abercrombie sententiam, morbum hydrocephaloidem simillimum esse apoplexiae ex exinanitione a veteribus descriptae, supra meminimus. Et re vera illa, quae de apoplexia nervosa, inprimis illa ejus specie, quam apoplexiam ex exinanitione vocaverunt, docent, ad hunc morbum hydrocephaloidem referri possunt. Zulianus (Ueber den Schlagfluss der Nerven. Deutsch v. Domeier 1791.) de apoplexia ex debilitate haec dicit: »Quum organismus ita debilitatus est, ut vasa cerebri sanguine non satis impleri possint, illa apoplexiae species exoritur, de qua hic sermo est. Tissot (Epistol. varii argumenti) ait: quum spiritus vitalis, viribus exhaustis, deest, apoplexia oritur, quae apoplexiae species compressione cerebri non efficitur. Symptomata prodroma, Zulianus inquit, sunt: pallor faciei, vertigo, tinnitus aurium, maxima debilitas, tremor artuum, debilitas sensuum internorum. Qua apoplexia inprimis ii afficiuntur, qui magnam sanguinis copiam subito amiserunt; itaque Hippocrates hunc morbum dicit, apud homines vulneratos observari. Idem apud uxores accidit, quae in pariundo haemorrhagiis moriuntur: saepe haemorrhagia tam gravis est, ut syncope, coma exoriatum atque mox mors sequatur; haemorrhagia enim efficit, ut cerebrum non satis sanguine impleatur. Apoplexia quoque insequitur, quum dejectiones alvi profusiores sunt; sic illam laxantia graviora efficiunt. Viribus fame debilitatis, vertigo quoque, deliria et denique apoplexia oriuntur. Auctore Tissot inprimis afficiuntur morbis laborantes vires debilitantibus, vel ii, qui continue medicamentis utuntur, quae vires consumunt. Alio loco idem auctor commemorat, in cadaveribus infantum apoplexia defun-

ctorum vasa cerebri sanguinis omnino expertia reperiri.«
Haec igitur apoplexiae species, quam fere semper alii morbi comitari solent, saepissime statu cerebri exsanguis proferri nobis videtur: itaque eam ad illum morbum, quem M. Hall nomine morbi hydrocephaloidis descripsit, recte referendam censemus.

Num morbus hydrocephaloides apud infantes tantum observetur?

Quae supra exposuimus, haec docent, morbum non solum apud infantes obvium esse. Etenim quae auctores de apoplexia nervosa nobiscum communicarunt, imprimis apud adultos observata esse videntur. Andral et Abercrombie statum illi, qui morbus hydrocephaloides vocatur, simillimum apud adultos interdum sese vidisse narrant, et exempla commemorant. Andral hoc exemplum ab Hausbrandt, medico Germanico, relatum allegat: Homo quidam, vino deditus, furti causa custodia tenebatur, neque alium cibum, nisi panem et aquam accipiebat; octo vel quatuordecim diebus praeterlapsis, symptomata mentis turbatae apparebant; vires quoque valde confectae, neque multo post deliria etiam furibunda orta sunt. Medicus arcessitus, quum rationem vivendi consuetam cognosset, opinabatur, maniae ceterorumque symptomatum causam esse inopiam potus spirituosus; itaque parvas spiritus frumenti doses aegroto administravit. Non multo post symptomata cerebralia effugerunt bonaque valetudo restituta est. In hoc casu, quod cerebrum irritamentis consuetis carebat, symptomata illa apparebant. Quae signa pari modo exoriuntur, quum cerebrum sanguine, irritamento vitali, caret. — Quae exempla Abercrombie enarrat, haec sunt. Vir quidam, aetate provector diarrhoea laborabat; quae neglecta quum per aliquod tempus durasset; status soporosus subito oritur; facies pallida, collapsa, arteriarum pulsus tamen non debilis. — Femina quoque, aetate provector, propter eandem causam memoriam perdiderat, strabismoque affecta erat. Vir et femina vino et opio adhibitis, valetudinem recuperabant. — Eodem refert exemplum Abercrombie hocce: Vir quidam, triginta annos natus, morbo la-

borabat, qui non satis quidem intellectus, sedem tamen in ventriculo habere videbatur. Quo morbo vires valde consumebantur; postremo parum auribus audire poterat, et quidem, quum erecto capite vel sedebat, vel stabat. Quum jacebat, bene audiebat, quum stabat capite ita proclinato, ut facies colorem rubrum acciperet, tam diu, quoad color ruber manebat, bene, quum color ille refugerat, male audiebat. — Quod exemplum ideo citamus, quia optime exponit, qualia signa anaemia cerebri provocet. —

Quam ob causam illa cerebri symptomata praecipue apud infantes observentur, non difficile est intellectu. Quum enim ad texturam cerebri apud infantes, mollitie alioque modo diversam a cerebro adultorum, ad ejusdem magnitudinem prae ceteris organis praevalentem spectamus; quum id quoque consideramus, evolutionem cerebri infantilis maximam esse et ad illud evolvendum inprimis vim corporis niti, res plane elucet. Itaque ut morbi cerebri apud infantes facile oriuntur affectioque ejus sympathica creberrime usu venit, ita status cerebri, etiamsi levissime perturbatus, qualis apud adultos reactionem vix provocat, ad signa ferocissima excitanda aptus est. Reactione autem violentissima maximum vitae periculum facile paratur.

DIAGNOSIS.

Quae ad morbum hydrocephaloidem dignoscendum M. Hall adfert, haec nunc expromere volumus. Colorem faciei inprimis et temperiem maximi momenti esse dicit, quippe illa, ut apud adultos arteriarum pulsus, statum virium infantum, vel gradum exhaustionis produnt. Atque qualitas totius cutis ac praecipue manuum et pedum, quanta vis vitalis sit, nos docere potest. Arteriarum

quoque pulsus, quod ad ejus vim et frequentiam attinet, et status respirationis bene observandus est. Neque minoris ponderis sunt anamnestica. Tali modo statum accuratissime perscrutatus medicus ad rectam diagnosin adducitur.

Respiratio et arteriarum pulsus de stadio quoque, in quo morbus versetur, nos certiores faciunt; primo etenim stadio, irritationis, respiratio celerior est, pulsus saepe plenus; altero stadio, torporis, respiratio tardior fit, inaequalis, gemebunda, strepens; pulsus hucusque plenus debilis fit, sed saepissime eandem frequentiam obtinet. — Praecipue cavendum est, ne stupor et coma pro somno sano et signis status melioris habeantur; pallida quidem facies, temperies valde diminuta, palpebrae semiclusae, respiratio inaequalis rem satis demonstrant.

CURA.

Remedia, quae alvi fluxum reprimunt, statum intestinorum normalem reddunt, vires infantum et servant et restituunt, adhibenda sunt. Quem ad finem Tinct. Opii, Magnes. usta, Magnes. carbonica, Rheum, Ammonium, Spirit. frumenti, vinum, cibi nutrientes sese commendant. Nutrimentum optimum est lac nutricis. Quum nutrice infans ali non potest, lac asinum commendatur. Stadio irritabilitatis optimum quoque remedium est balneum calidum; altero stadio vesicans vel sinapismus ad cervicem praedicatur. Extremitates lana obtegantur, frictiones corporis instituantur, ut temperies melior et sanguinis circuitus celerior efficiatur. Id quoque praecipue monendum est, ne infans erecto capite jaceat. (Quod maximi momenti esse nobis videtur; tali modo enim cerebri exsanguis et malum igitur multo augetur. Experimenta in animalibus instituta id probant; animal quidem, quum vires

multo sanguine amisso debilitatae sunt, syncope afficitur, si anterioribus suspenditur pedibus, syncope cedente, si posterioribus pedibus suspenditur.) Ut stadio irritationis cauti simus in adhibendo vesicante vel sinapismo, monitu dignum videatur, quod auctore Andral stadio irritationis sensibilitas cutis tanta adest, ut sinapismus tantam reactionem et localem et universalem provocet, quam opera maxima vix refutare possis. — Infantes ternis aut quaternis horis parvas doses Ammonii carbonici pyroleosi, et intervallis bis vel ter guttas quinque usque decem spiritus frumenti mucilage mixtas sumere probatur. Diarrhoea repulsa, viribus quodammodo jam restitutis, illa remedia seponenda sunt; status intestinorum tantum regulandus et vires nutrimentis aptis servandae sunt. —

Haec curae ratio imprimis in iis casibus, in quibus cerebri status exsanguis satis elucet, apta nobis videatur; interdum autem congestionem cerebri vel irritationem viribus quidem fractis adesse posse, supra meminimus. Eademne medicamina adhiberi possint, jam quaerimus? Id quidem minime probabile nobis videatur, quod quum ad vires tantum respicitur neque status cerebri optime observatur, exsudatio facile insequi posse existimamus. In maximas quidem angustias tali modo medicus ducitur, nempe irritatio cerebri vel congestio alia remedia, alia exhaustio virium indicat. In recte eligendis remediis, quae utrique indicationi respondent, sollertia et experientia medici apparent.

Exempla morbi ab auctoribus enarrata.

Observatio I. (M. Hall.)

Infans tres menses natus, mammis ablatu, quum quattuordecim dies lacte, ptisana et pane nutritus bona valetudine gavisus esset, subito febricitans inquietus apparet, saepe vagitum edit, in somnis ingemiscit, diarrhoea

afficitur, sedibus cibos incoctos et mucum continentibus. Hydrargyrum muriaticum mite, quod infanti datum erat, nauseam fecerat. Idem remedium iterum assumptum, eodem et sequente die sedes sedecim effecerat. Nocte autem calor corporis excitatur aestu, somnus inquietus est, tormina et sedes foedi odoris frequentes. Tempore posteriori diei matutino infans valde somnolentus, quodammodo soporosus apparet, oculis semiclusis, ita ut tunica tantum albuginea conspici possit, ore aperto; praeterea per aliquod tempus pallor et frigus genarum, manuum et pedum; non multo post reactio animadvertebatur. Infantis, quum vespere ejusdem diei primum videret M. Hall, status fuit hic: coma perfectum, oculi semiaperti nullam rem figere possunt; pupillae modice dilatatae, luce immobiles, genae pallidae et frigidae, pulsus centum et triginta duos ictus reddens; respiratio inaequalis et gemebunda; cutis totius corporis pallida et temperie valde imminuta. — Guttas quinque spirit. frumenti et tria grana salis volatil. corn. cerv. alternatim in horas infantem sumere jussit M. Hall et interpositis binis horis nutriticis lacte nutriri. Tali ratione status morbi paulatim melior factus: primum stupor inquietudine alternabat, sensibilitas rediit, ita ut infans susurro saepe cohorresceret; inquietudo interdum tanta erat, ut balneum calidum institueretur; non multo post e vultu infantis vigor eluxit. Sequente die quattuor sedes habebat; praeter illa remedia Magnes. cum Rheo datur. Non multo post bona valetudo apparuit.

Observatio II. (M. H.)

Puellula, duos annos et novem menses nata, influenza afflicta erat; pulmonum affectio erat talis, ut et medicamina deplentia et hirudines sedecim adhiberentur. Tali modo affectionis quidem pulmonum symptomata remota erant, vires autem infantis ita fractae, ut alia signa comparerent, quae cognatos medicumque magis sollicitos fecerunt, quam illa affectionis pulmonum. Arcessitus infantem talem invenit M. Hall: somnolentam, oculis semi-

apertis; e somno excitata ingemuit et statim iterum somno capta; oculi nullam rem figere potuerunt; pupillae dilatatae, luce tamen adhuc modice mobiles. Arteriarum pulsus centum et quadraginta ictus reddidit. — Alterius medici sententia fuit, hydrocephalum adesse et Hydrargyrum muriat. mite nunc adhibendum; suam sententiam, respondit M. Hall, omnino contrariam esse; symptomata quidem simillima illis hydrocephali, tamen eorum causam esse vires cura antiphlogistica suppressas, neque Hydrarg. mur. mit., sed remedia potius excitantia et nutrientia porrigenda esse. Itaque infantem jussit triginta guttas spirit. frument. in horas assumere et lacte nutrir. Quo modo pulsus frequentia diminuta et paulatim alia symptomata meliora prodierunt; oculi tamen semiaperti adhuc nullam rem fixerunt, pupillae dilatatae erant, et inflammatio conjunctivae oculorum luci continue oppositorum apparuit. Praeterea duas sedes inscias infans habebat. Quum spirit. frument. dolores colicos, ut apud complures infantes observabat, effecerit, constituit, ut alternatim Spiritum Ammonii aromat. infans sumeret. Paulatim signa salutis apparent; frequentia pulsus magis magisque diminuta, pupillae luce jam consueto modo excitatae, somnus quietus, oculi clausi neque multo post bona valetudo restituta.

Observatio III. (quam a Twedie factam M. Hall refert.)

Medicus quidam, inquit, a me petiit, ut infantem viderem, quem moriturum stadio exsudationis hydrocephali ingresso putabat. Infantem, quattuor menses natum, omnino soporosum inveni; nullo modo excitari potuit; quum palpebras elevasset, pupillas vidi normales, oculos quidem languidos; pulsus celerrimus et frequentissimus, debilis; respiratio frequens, interdum intermissa, gemebunda; fluxus alvi aderat, sedes praecipue mucosae. Quum interrogassem, quinam morbi decursus usque ad hoc tempus fuisset, haec comperi: Infantem adhuc bona valetudine gaudentem a matre uxori cuidam, cujus infans, novem menses natus, a mammis paullo ante remotus erat, nu-

riendum traditum esse; non multo post autem illum aegrotasse, diarrhoea affectum. Remediis quidem adhibitis diarrhoeam non cessisse. — Postremo statum soporosum subiisse. Non multo, postquam videram, animam exspiravit. Sectio cadaveris non est permissa. —

Observatio IV. (Gooch).

Puellula, duos annos nata, non valido corpore, quum per aliquot dies aegrotasset, haec signa obtulit: somnolentiam magnam, languorem maximum, frigidam cutem, pulsum debilem, modice tamen frequentem; appetitu ciborum omnino carebat. Sorore, eodem morbo affecta, hirudinibus et laxantibus adhibitis hebdomade antea morte correpta, medicus dubitaverat hirudines adhibere. Nonnullis diebus post alter medicus consultatur; morbum congestionem sanguinis in cerebro ortum censuit atque sex hirudines ad caput institutae. Tempore vespertino status in multo pejorem partem sese convertit; color infantis pallidus, mortui instar; cutis frigida, pupillae dilatatae, luce non excitandae; oculi nullam rem figere potuerunt. Arteriarum pulsus vix animadvertendus. — Postero die cibi, quos infans ederat, vomitu egesti; itaque jussum est, infantem lactis tantum cochlear in horas sumere; vires magis magisque collabuntur, cutis frigida manet; pulsus tremulus et adhuc vix animadvertendus. Interdum quidem infans magis animata apparebat; mox tamen status ille rediit. — Hebdomadis spatio tali modo tabescens animam tandem exspirat; post mortem nihil abnorme in cerebro inventum, nisi paullulo plus seri in ventriculo, quam plerumque invenitur.

Observatio V. (Gooch).

Infans, decem menses natus, non parvo debilique corpore erat; duobus mensibus ante a mammis remoti bona valetudo paullo detrectata erat. Accessit infantem talem inveni: caput demissum vix compotem attollendi, languore maximo, somnolentum; pulsus erat debilis, vix animadvertendus; symptomata febrilia deerant. — Medi-

cus alter hirudines adhibendas jam censuerat. Sententiam de morbo meam, quum exposuissem, comprobavit, hirudines non esse admoendas et hanc curam instituendam, ut infans nullum aliud nutrimentum nisi lac et quaternis horis parvas doses spirit. Ammon. aromat. acciperet. Sequenti die signa salutis infans offerebat; neque multo post bona valetudo restituta est. —

Observatio VI. (quam ab Henning factam M. Hall enarrat).

Puellula, tres annos nata, quum aegrotaret, hirudinibus et medicamentis Hydrarg. muriat. mixt. et Jalap. tractata erat. Arcessitus matrem cataplasmata frigida spirituosa, sicuti a medico constitutum erat, capiti infantis adhibituram, infantemque ipsam talem inveni. Nullo modo excitari potuit; pupillae dilatatae, luce non moventur; oculi semiaperti, strabismus; caput attollere non potuit, huc illuc demissum; cutis pallida, macies magna; sedes insciae. Non fomentationes in caput adhibendas, sed sinapismos ad pedes instituendos et infantem lacte nutriendum censuimus. Post aliquod tempus, quum iterum infantem viderem, valde admiratus statum in meliorem partem versum inveni; infans lac sumserat; quum sedes frequentes et inscias habuisset, parvas Laudan. liquid. Sydenh. doses adhibendas suasi. Duobus diebus interjectis status multo melior erat; sedes tam frequentes non habuerat. Infans, pallido quidem colore apparet; periculum tamen omnino remotum videtur. In pagum missa infans bonam valetudinem recuperavit.

Observationes VII. et VIII. (a M. Hall in libro »Ueber Blutentziehungen, deutsch v. Bressler consignatae).

VII.

Puerulus, duos annos et novem menses natus, medicamen laxans ex gran. octo Scammonii et gran. duob. et dimid. Calomelanos, quod infanti aetatis majoris destinatum erat, assumserat. Nauseam, diarrhoeam frequen-

tem effecerat; pulsus parvus et frequens apparebat. Medicus, quum infantem primum vidisset, potionem Riveri et tinct. cardam. compos. adhibuit. Tempore vespertino status ventriculi et intestinorum paullo melior apparet; facies autem coloris rubri, pulsus plenior et insuper tussis et dyspnoea adest. Hirudines duae ad pectus admotae sunt, praeterea potio Riveri et parvae doses Calomelanos et Ipecac. — Secundo die post alterum laxans salinum assumserat; sequente die iterum duae hirudines adhibitae erant. Tempore posteriori diei matutino infans oleum ricini sumit et vesicans ad pectus adhibetur. Tempore vespertino status erat talis: Cutis calidissima et sicca, lingua obtecta, pupillae dilatatae et immobiles, quodammodo status stuporis. Medici, timentes, ne stadium exsudationis hydrocephali adsit, fomentationes frigidas et quaternis horis granum dimidium Calomelanos praescribunt. Sequente die status fere idem, potius peior quam melior. — Accessit sum et hydrocephalum adesse, mea quoque sententia erat; duas hirudines ad tempora adhiberi jubemus. Insequente die statum exhaustionis adesse me non fugit; facies enim pallida, pulsus maxime debilis, neque dubium erat, quin symptomata illa virium suppressarum non hydrocephali essent; quaedam quidem hydrocephali signa aderant; deerant tamen crepitus dentium, voces anxiae, convulsiones. Itaque quaternis horis infantem guttas triginta Spirit. frument. assumere voluimus. Non multo post status hoc medicamine tam bonus factus est, ut infantem eandem dosin in horas capere iusserimus. Sensibilitas normalis, calor paullatim rediit, et omnia morbi symptomata paullatim remota.

Observatio VIII. a medico Micheli apud filium suum facta).

B. M., annum et septem menses natus, debili constitutione, annum et mensem natus dentire inceperat. Morbo intestinorum affectus Hydrarg. muriat. mit. et ol. ricini tractatus erat, morbusque ille intestinorum per aliquot dies idem fuerat. Quum in urbem vicinam profectus rediissem, medicum, cerebri affectionem adesse opi-

natum, Calomel., balneum calidum, Ipec. c. Kali sulphur., emulsionem ex oleo ricini duasque hirudines in caput adhibuisse, comperi. Infantis talem statum tristem inveni: faciem et labia pallida et frigida, infantem in statu torporis omnino versantem, animum ejus ad res circumdatas fere nullo modo attentum; pulsus habebat centum et quadraginta ictus; sedes erant frequentes, insciae, foedi odoris; convulsiones tantum, strepitus dentium, strabismus non aderant; pupillae nec dilatatae nec contractae, in lucem reagentes, unde cerebrum non affectum esse conclusi. — Postero die, quum medicus a sententia sua, cerebrum affectum esse, non abstinisset, alterum quoque consultavi, qui meam sententiam comprobavit; itaque curam antea institutam relinquimus et nutrientia infanti damus. Secundo die post status languoris idem; pulsus numerabantur centum et quadraginta ictus; sedes nocte non tam frequentes erant, foedum tamen eundem odorem habebant. Compos quidem sui est; res autem circumdatas vix attendit; per diem sedes septem vel octo habebat, qua re vires magis collapsae; pedes frigidi, lingua sicca. Calorem corporis efficere conati sumus et saepius intervallis quibusdam parvas doses salis volat. Corn. cerv. damus. Tempore sequentis diei matutino status non melior; per diem autem pulsus non tam debilis, cutis temperies paullo aucta, somnus non tam inquietus. — Postero die symptomata omnia in pejorem modum versa; novem sedes, quas habuerat, vires valde suppresserant. — Sal volat. C. C., Laudan. liquid. Sydenh., adstringentia et nutrientia dantur.

Sequente die status intestinorum idem; sedes autem tantum foetorem non habebant; caput calidissimum; remedia eadem. — Tempore vespertino status multo melior, ita ut omne periculum remotum videatur; infans plures horas somnum ceperat. Diebus duobus post vires jam auctae; remedia eadem adhibentur.

Status paullatim melior factus, ita ut infantis bona valetudo post aliquod tempus redierit. —

Morbum tempore anni praeteriti aestivo observandi, nobis quoque, Halae arti medicae operam dantibus, occasio erat. Aestu tunc temporis vehementissimo, complures infantes diarrhoea affecti aegrotabant; tres usque sex sedes per diem habebant, mucosas vel aquosas. Diarrhoea quum per aliquot dies exstitisset, symptomata apparuerunt, quae cerebrum affectum significant, ut recordamur, haec adfuerunt: Infantes insolite quieti erant; fere nulla re eorum animus movebatur, languorem ostendebant maximum, caput erat demissum; oculis fixis res intuebantur; oculi dormientium non clausi, pupillae paululum dilatatae. Facies erat pallida; cutis omni turgore carebat. — Praeceptor noster, illustrissimus Krukenberg, illa symptomata anaemia cerebri exorta docebat, atque ne morbus pro hydrocephalo haberetur, monebat. Diarrhoeae causam venositati sanguinis majori, aestu isto tempore tam vehemente effectae adscripsit. Nonnullae guttae Acidi muriatici adhibitae quater vel ter per diem, bonam valetudinem paucis diebus post restituerunt. —

Eodem tempore in urbe vicina, Krukenberg narrabat, magnum infantum numerum eodem modo aegrotasse; primo a medicis, illa symptomata signa hydrocephali putantibus, hirudines adhibitae erant, sed status morbi tali ratione multo peior factus.

Hic locus esse mihi videtur, morbum quoque commemorandi, quem Krukenberg apud infantes signa simillima illis hydrocephali praebentem saepius observabat. (Jahrbücher der ambulatorischen Klinik zu Halle herausgegeben von Peter Krukenberg. Halle 1824). Qui morbus inprimis tempore aestivo, quum aestus magnus existit, infantes afficit. Infantes, sicuti docet, morosi fiebant, pallidi; vomitu et diarrhoea affecti.

Morbis cito progredi solebat; aegrotorum vires non multo post suppressae erant; infantes pallidum vel luteolum colorem praebabant, qualem figurae cera formatae, quae aëri expositae flavescent; sub oculis tamen

et naso color erat lividus, coeruleus; cutis omni turgore carebat; fere nulla re infantes incitabantur; caput erat demissum; tranquilli erant, somnolenti, dolorem nullum sentire videbantur; oculi erant languidi, semiaperti, pupillae dilatatae, luce non satis movebantur; arteriarum pulsus debilis, mollis, centum et viginti ictus reddens. Praeterea vomitus frequens materiae mucosae, viridis; diarrhoea crebra; sex, octo usque ad duodecim sedes per diem habebant; abdomen neque calidissimum, neque inflatum, neque dolens; respiratio normalis erat. Infantes sui compotes esse videbantur, neque solito longius tempus dormiebant; per noctem saepius inquieti erant. Medicaminibus in tempore non adhibitis, mors certa consequebatur; convulsiones vel alia signa violentissima mortem antecedere non solebant. Sectione cadaverum instituta, vasa, inprimis venae omnium corporis partium, praecipue autem cerebri, multo sanguine dissoluto impletae apparebant; ossa cranii colorem coeruleum praebebant. Lympham exsudatam vel serum neque in cerebro neque in canali vertebrali invenimus. Splen valde sanguinosus et pulposus erat. — Morbum venositate sanguinis majore, praecipue sanguinis cerebri exortum censemus; vomitum et diarrhoeam conamen naturae, venositatem majorem secretis bili et mucosae corrigendi habebamus. — Duae vel quattuor hirudines ad caput, ut et apoplexiae provideatur et copia sanguinis paullo diminuta vis vasorum debilitata erigatur, praeterea balneum calidum, frictions, sinapismi ad pedes, et parvae doses Calomelanos cum Magnes. carbon. adhibentur. Quae curae via optimum effectum habebat, calor quidem rediit, infantes colorem solitum iterum assecuti sunt; pulsus plenior et regularis factus; somnus quietus apparuit. Neque multo post aegri iterum bona valetudine usi sunt. —

Hoc exemplum auctor enarrat:

Puerulus, annum natus, debili quidem corpore, sanus tamen adhuc erat. Vomitu autem et diarrhoea subito afficitur. Non multo post arcessiti infantem talem invenimus: vires valde fractae erant; infans fere nulla re incitari potest; temperies cutis valde imminuta, capitis tamen temperies solita; pulsus debilis, mollis, centum et

viginti ictus reddens; cutis omni turgore carebat, ejus color erat pallidus, luteolus; caput aut adclinetum aut demissum; dolorem infans non sentire videtur. Nullam morbi causam nisi aestum magnum cognovimus; morbum e stagnatione venosa profectum esse censebamus. Duae hirudines ad caput, balneum calidum, frictiones corporis, sinapismi ad pedes, clyisma ex Infus. flor. Chamom. et in horas granum dimidium Calomelanos c. Magnes. carbon. adhibentur. Calor corporis rediit, sed erat siccus; caput calidissimum, pulsus paullo plenior, centum et quadragint. ictus reddens. Lac, quo cum aqua mixto fruitur, vomitu vel alvo egeritur. Animus infantis paullo attentior. — Nocte somnus non aderat; sequente die languor maximus apparet; oculi semiclosed, os continue apertum; interdum ingemiscit infans. Lingua est sicca, sitis magna, temperies cutis valde imminuta; caput tamen calidissimum; pulsus qualis heri erat. Fere nulla re infans incitari potest; vomitus non rediit, materia autem lactea alvo emittitur. Iterum balneum, frictiones et sinapismi instituuntur. — Atque Hydrarg. muriat. mite sumendum statuimus. Tempore vespertino status multo melior apparet et postero die talis: diarrhoea non tam frequens est, vomitus non redierat; pulsus plenior, centum et viginti ictus reddens; color et temperies cutis multo meliores existunt. — Nocte somnus quietus; tempore insequentis diei matutino animus infantis multo attentior apparet; color faciei ruber rediit, pulsus nonaginta tantum ictus faciens; plenior; cutis bonam temperiem habet; sed quatuor per diem sedes. Eadem remedia adhibentur. Nec multo post infans bonam valetudinem recuperavit.

V I T A.

Natus sum ego, Isaacus Moser, Lippehnae, oppidulo Neomarchiae, anno h. s. undevicesimo, patre Jaekeli Moser, matre Rebecca, e gente Loewenberg. Morte ereptos lugeo. Veterem fidem confiteor. — Gymnasium Stargardiense, t. t. sub auspiciis clarissimi Falbe florens, per quinque annos et dimidium frequentabam. Maturitatis testimonio accepto, artis medicae studiis operam daturus, tempore paschali anni h. s. XXXIX. hanc almam Universitatem adii; ab Ill. Mueller, t. t. rectore magnifico, civium academicorum numero adscriptus et apud Ill. Schultz, medicorum ordinis t. t. decanum maxime spectabilem, nomen professus sum. Per tria semestria interfui his scholis:

Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medicinae; Ill. Gabler de logice; Cel. Isensee de psychologia; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Schultz de botanice; Ill. Weiss de mineralogia; Ill. Mitscherlich de chemia; Cel. Dove de physice; Ill. Mueller de anatomia universa et de

physiologia; Ill. Schlemm de osteologia et syndes-
mologia; praeterea artem cadavera rite secandi Ill.
Mueller et Ill. Schlemm me docuerunt.

Deinde almam universitatem Halensem petii; ab
Ill. Gruber, t. t. prorectore magnifico, civium acade-
micorum numero adscriptus et apud Ill. Friedlaen-
der, gratiosi medicorum ordinis t. t. decanum ma-
xime spectabilem, nomen professus sum. Per annos
duos his scholis interfui:

Ill. Krukenberg de pathologia generali et
speciali; Ill. Blasius de chirurgia universa et
akiurgia; Ill. Hohl de arte obstetricia; Ill. Fried-
laender de materia medica; Ill. D'Alton artem
cadavera secandi me docuit. Exercitationibus clini-
cis interfui medicis, chirurgicis, ophthalmiaticis Ill.
Krukenberg et Ill. Blasius per annum et dimi-
dium.

In hanc almam Universitatem reversus, ab Ill.
a Raumer, rectore magnifico, civium academico-
rum numero adscriptus et apud Ill. Mueller, gra-
tiosi medicorum ordinis decanum maxime spectabi-
lem, nomen professus sum. His scholis interfui:

Ill. Hecker de historia medicinae; Ill. Muel-
ler, de anatome pathologica; Exper. Simon de
chemia pathologica; Exp. Reichert de anatome.

Has scholas clinicas medicas, chirurgicas, oph-
thalmiaticas, obstetricias frequentabam: Ill. Schön-
lein, Ill. Juengken per annum, Ill. Dieffen-
bach, Cel. Wolff, Ill. Busch per annum dimi-
dium.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis,
gratias ago quam maximas.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam
medico, et examine rigoroso rite absolutis, spero
fore, ut dissertatione thesibusque defensis, summi in
medicina et chirurgia honores in me conferantur.

T H E S I S

1. Signa tuberculorum in pulmonibus solitariorum
certa non existunt.
2. Psychologiae solae magis utilis est, quam
philosophorum.
3. Psychologiae solae magis utilis est, quam
philosophorum.
4. Signa tuberculorum in pulmonibus solitariorum
certa non existunt.

THESES.

1. Emetica in stadio prodromorum typhi abdominalis nocent.
 2. Morbus, qui vocatur synanche parotidea, non est inflammatio parotidis.
 3. Psychologiam colere, magis medicorum est, quam philosophorum.
 4. Signa tuberculorum in pulmonibus solitariorum certa non existunt.
-